



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis Ioviani Pontani amorum libri II.

Pontano, Giovanni Gioviano

Venetiis, 1518

Tumulus Ptolemæi gallinæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13534

TVMV DORVM

Tu terram coluisti & terrae munera sollers.
Culta tibi & tellus, cultaque debet humus.
Culta tibi & curius debet Roberte. colenti
Et debet uitis, debet & una tibi.
Et uitis det gratia tibi, det & una liquorem
Optatum, largo diffuat urna mero.

LA VRINA E P VELL A E IPSA

è tuumlo loquitur. Viator respondet.

Hæc Laurus mihi dat titulos, famamque; sepultæ,
Quæ quondam uiuæ nomina clara dedit.
Sub lauru Laurina tegor, mea uestit & ossa
Laurus, & ipsa meo uestitur è cinere.
Per me igitur uiuit Laurus, Laurinaque; uiuo
In lauru, & uite mutua cura sumus.
Ipsa eadem lauro materque; & filia. Laurus
Ipsa mihi est titulus, ipsa quoque; est tumulus.
Viuite frondenti pariter sub cortice iunctæ. VI.
ipsaque; sis Lauro filia, sisque; parens.

P T O L E M A E I G A L L I N A E C A

tinensis Astrologi.

Digne senex cœlo, cœlum Ptolemæe petisti.
Pro Catina cœlum patria facta tua est.
Quasque; olim stellas numeris, quæ sydera cursu,
Nunc metire oculis, fataque; certa tenes,
Et tibi quæ series rerum, lexque; ipsa futuri
Nota patet, summis perfruerisque; bonis.

A' pueri mihi culte senex Gallina ualeto
Perpetuum, & Catinæ uiue perennis honos.

L A V R E N T I I M I N I A T I
Astrologi.

Quid numeras Miniate? nihil numerare necesse est,
sydera sub pedibus qui modo cuncta uides,
cuncta suos agere anfractus, seq; ordine summo
Cogere, & errores rite subire suos.
Ne numera Miniate. quies tibi parta. quiete
Utere, & humanis exue te studijs.
Ipsa quies deus est. deus est & uita bonumq;
Vita bonumq; simul. utere utroq; simul.
Exutusq; hominum curis, rebusq; molestis
Laurenti æterno rite fruare bono.
Nos nemores ueteris studij, socij q; laboris
Hæc tibi pro sanctæ munere amicitiae.

F U S C A E M A T R O N A E.

Centum Fusca procos habuit, nec casta cubile
Polluit, aut sancti iura uerenda tori.
Centum Fusca procos risit, coluitq; maritum.
O' raram in longi posteritate fidem.
Hoc uirtutis opus dura inter & aspera se se
Erigere, & fortis exeruisse manus.
Vixit Fusca igitur celebris post fata, fidemq;
Testantur nullo marmor aucta situ.